

Universitätsbibliothek Wuppertal

Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur

Vergilius Maro, Publius

Augustae Vindelicorum, MDIC

Ecloga nona. Møeris.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-322)

Scriptus codex legendum docet, *omina fingunt*. Erratum porro in hoc vocabulo, *omina*, in variis auctoribus, & apud poetas, & frequentissime, & falsò legi *omnia*, ostendit plurimis versibus prolatis Guliel. Cant. lib. i. cap. 8. nec debet nos perturbare hiatus, cum in eodem carmine antecedit alius, & constet à Virgilio non semel id

A Græcorum imitatione factum. *PARCITE, AB VRBE*) Non, desine, dixit, quia qui desinit, finem facit: qui parcit, suspendit id, quod agebat. Philargyr. Concluditur Alphefibi *καρπανεύρετα*, ut superius Damonis querimonia conclusa est, *Desine Menalios iam desine tibia versus*. Sed hæc illa lætior.



Ecloga nona. Mœris.

SYNOPSIS.



Victor intersectorum Julij patris sui Octavianus apud Philippos, cum agros transpadanos militi veterano iussisset assignari, euenit, ut cum alijs multis suos quoque Virgilius, nulla sua culpa, agellos amitteret: uti suprâ quoque in argumento primæ Eclogæ à nobis relatum est. Ob hanc causam iter Romam arripuit, ac per Asinium Pollionem, & Mæcenatem, homines gratia, auctoritateque florentissimos suam sibi possessiunculam recipere studuit. Hoc ita moleste, & iniquè tulit Arrius Centurio, cui fundus Maronianus obtigerat, ut ei aliquando, casu, an consultò factus obuiam, propemodum mortem (heu cadit in quenquam tantum scelus?) attulerit. Mandauerat autem Romam abiens villico suo Virgilius, ut usque ad reditum suum, quantum quidem res pateretur, leui damno Arrium pro domino coleret, ei que seruiret. Nunc fingitur hic villicus in persona Mœridis Mantuam contendere, & importuno illi hero hæc illos munusculum portare. Lycidas familiaris cum per viam affecutus, causam itineris exquirat. Quam occasionem adeptus Mœris, perditissimam illorum temporum conditionem detestatur: cui detestationi, querimonieque ipsius Virgilij, eiusque carminum laudatio adiungitur: ille siquidem per Menalcam intelligendus est. Pergunt igitur ambo Mantuam, itinerisq; tedium delectatione cantiuncularum discutunt.

EXPLANATIONES.

LYCIDAS, MOERIS.

- M.** **Q**uò te Mœri pedes? an (quò via ducit) in urbem?
O Lycida, viui peruenimus, aduena nostri
 (Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli
 Diceret, HÆC MEA SVNT, VETERES MIGRATE COLONI.
 5 Nunc victi tristes (quoniam fors omnia versat)
 Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.
L. Certè equidem audieram, quâ se subducere colles
 Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo,
 Vsq; ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,
 10 Omnia carminibus vestrum seruasse Menalcam.
M. Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum
 Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
 Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
 Quòd nisi me quacunq; nouas incidere lites
 15 Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,
 Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipse Menalcas.
L. HEU CADIT IN QVENQVAM TANTVM SCELVS: heu tua nobis

Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca.

Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis

20 Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?

Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,

Cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras.

Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas,

Et potum pastas age, Tityre, & inter agendum

25 OCCURSARE CAPRO (CORNU FERIT ILLE) CAVETO.

M. Immò hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebar.

Vare tuum nomen (superet modò Mantua nobis,

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)

Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.

QVO TE MOERI PEDES? Cum dicit Virgilius pedes cum, cuius sunt, aliquid proficiscentem ferre, non est existimandus hic sermo agrestis propriusq; rusticorum hominum, ut interpretes nonnulli falsò putarunt. Nam Homerus eodem pacto locutus est, ἐν τῇ παλιῶν, cum exponeret Patroclum, visis rebus Græcorum in maximo periculo, decessisse à tabernaculo Eurypyli, ut videret, si posset sodalem suum Achillem impellere ad remedium illi graui malo ferendum. Ita igitur poeta inquit, ἢ μὲν ἄρ' ὥς εἰπόντα πόδες φέρον. Declaratio etiam quædam illic vetus annotauit hunc loquendi modum, cuius hæc verba sunt, ὅτι οἱ πόδες αὐτὸν φέρον, ἢ αὐτὸς τὰς πόδας, ὡς ἐν τῷ δότον, ὅτι ἀναγέφει, ἢ μὲν ἄρ' ὥς εἰπόντα πόδες φέρον. Videndum potius, an ita significetur festinatio studiumq; Victor. 36. cap. 3.

Etiam imitatione Theocriti in Hyla dictum est, & subauditur, ducunt, ferunt. Theocrit. enim dicit Idyll. 13. ὁ δ' ἄρ' πόδες ἄγον ἐχέουσι. Adde ex Apollonio lib. 1. Argonaut. ἐς τὸν κλέυδον τὴν θάλασσαν, ἢ πόδες αὐτὸν ὑπὲρ φέρον ἀίσοντα. Et lib. 4. ὡς ἄρ' ἔφη, τὴν δ' αἰψὰ πόδες φέρον ἐκλονέυσαν. Plaut. Mercat. Nec podagricus, nec articularius est, quem rursus pedes ducunt. Quod genus loquendi dicitur de eo, qui non tam voluntate, & consilio, quàm sponte, & impetu quodam ipsorum velut pedum incitatus aliquid pergit, nullo quasi loco sibi ab initio, quò eat, cōstituto ac proposito. Horat. Ode 16. Epod. Ire pedes quocumq; ferunt. In quem locū ista Lamb. annotauit. Vtitur & Varro li. 2. de re rustica, in proœm. Propterea quòd te empturientem in campos macros ad mercatum adducunt crebrò pedes. Macri autem campi erant in Liguria, vbi & mercatus erat celebris. Turneb. lib. 29. cap. 31. QVO VIA DUCIT) Æneid. 1. quæ semita monstrat. VIVI PERVENIM. AD. NOSTRI) Heu quàm verè dictum, Multa homo diu viuendo, quæ non vult, videt mala. Nos miseros, qui diutius viuendo in istam calamitatem incidimus, ut agellis nostris ab aduena pelleremur infontes, & nihil commeriti. Cic. epist. 4. lib. 14. Quod vtinam minus vitæ cupidus fuissim: certè nihil, aut non multum in vita mali vidissemus. Idem in 1. Tusc. Quamquam non malè ait Callimachus, multò sæpius lacrymasse Priamum, quàm Troilum. Est item idoneum huic argumento, quod scribit Iuuenalis.

*Hæc data pœna diu viuentibus, ut renouata
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore, & nigra veste senescant.*

Et Plauti Bacchid.

*Video nimio iam multo plus quàm volueram.
Vixisse nimio satius est, quàm viuere.*

Iacob. Pont. QVOB NVNQVAM VERITÏ SVMTS)

Ac quæque accidit nobis tristius. Nam iacula præuifa minus feriunt. Addit tamen postea, vnde se consolatur.

*Quod nisi me quacunq; nouas incidere lites
Ante sinistra eam monuisset ab ilice cornix, &c.*

POSSESSOR AGELLI) Possessionem quasi pedum positionem κατὰ παρωνομασίαν nostri auctores dictam existimant, ideoque rerum mobilium propriè possessionem non dici, quod earum vsum non pedibus, sed manibus acquiramus. Vnde & veteribus dicta mancipia, & res mancipi, quorum Boetius in Top. Ciceronis meminit, & Cynus quoque non ineleganter declarat. Sint ergò pedes symbolum, & indicium quoddam possessionis rerum immobilium, sicut manus rerum mobilium. Horus tamen Apollo hieroglyph. lib. 2. cap. vlt. Hominem, inquit, φιλοκλίσην, id est ædificatorem, Ægyptij describere volentes, manum humanam depingebant, quòd ea quæcunque ædificia absoluuntur. Manus ergo φιλοκλίσην, pedes φιλοκλήτην significabant. Alciatus Patergon Iuris lib. 5. cap. 6. HÆC MEA SVNT) Lucianus festiuo epigrammate in agrum Achæmenidis, qui ad alium dominum peruenerat, monet nos, nihil nobis esse certum in possessionibus: nihil perpetuum: sed subiecta omnia casui, adeo, ut quod hodie possides, nescias vtrum in perendinum sis possessurus. Neq; solum mortuis nobis, sed etiam viuentibus sæpe res nostræ alium atque alium herum sortiuntur. Sic & Virgilius agellos suos amisit, quod non putabat. Sed Luciani carmina, cum interpretatione mea subiiciam.

Ἀλλ' ἔσθ' Ἀχαιμενίδου γενόμενον ποτὲ, νῦν δ' Μενίππῳ,

Καὶ πάλιν ἐξ' ἐτέρου βήσομαι εἰς ἑτέρην.

Καὶ γὰρ ἐκεῖν' ἔχειν μέγ' ὄφελος, καὶ πάλιν ἔσθ'.

Οἱ, εἴ μιν δ' ὅλως ὕδενός, ἀλλὰ τύχης.

Nuper Achæmenida, sed iam sumus arua Menippi,

Rursus & alterius mox erimus domini.

Hic sua nos putat, esse: olim sic ille putabat.

Sola magis nostri forstenet imperium.

Huc faciunt etiam illa Horatij sat. 2. lib. 2. quibus conqueritur Ofellus rusticus, se à quodam Vmbreno per vim eiecctum, ac pulsum fundo suo, ut hic Lycidas ab Arrio Centurione: & simul in illa querimonia res quatuor recenset, quibus domini rerum mutantur, & possessiones ad alios transeunt, vim, profusionem, iuris versuti inscitiam, ipsam mortem denique, qua finiuntur omnia.

Nam propria telluris herum natura neq; illum,

Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,

Ilum aut nequities, aut vafri inscitia iuris.

Postremum expellet certè vinacior hæres.

Memi-

Memini præterea cuiusdam dicti à D. Chrysostomo, Homil. 2. ad populum Antiochenum, quod à dictis non abludit. Sæpius, inquit, nisi testamenta, legens: Ille quidem habeat agrorum vel domus dominium, vsum verò alius. Omnes enim vsum habemus, dominium autem nemo. Hoc virum sanctum ex Philonis commentario de Cherubim deriuasse suspicor. Ius possessionum omnium rerum, inquit ille, ad deum pertinet, vsum verò solus ad creaturam. Statim disertissime demonstrat, quamobrem deus omnes res creatas omnibus vtendas concesserit, & qualis sit earundem inter se, animatarum etiam cum inanimis, brutarumq; cum ratione præditis communicatio. Iacob. Pont. FORS OMNIA VERSAT) Fors, nō fors legendum est. Librariorum negligentia, quia inter se figuod ad figuram attinet, parum interest, & facile vna pro alia pingitur, sæpe in optimos auctores mendum turpe inuexit, & pro illa voce nobis hanc obtrusit. Quod compluribus exemplis in medium prolatis Lamb. Comment. in 1. sat. lib. 1. apud Horatium demonstrat. Terent. Omnium rerum vicissitudo. Cic. pro Marcello, Et certè in armis militū virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, comineatus multum iuuant: maximam verò partem, quasi suo iure sibi fortuna vindicat, & quidquid est prosperè gestum, id pæne omne ducit suum. Et pro Sylla. O volucrem fortunam, quàm citò omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas recidunt? Producit & illud Theophrasti in 5. Tuscul. Vitam regit fortuna, non sapientia. Sallust. quoque. Sed profectò fortuna in omni re dominatur. Veruntamen vir magnanimus & fortis, & omnino sapiens, humana omnia premit, euentibusq; qualibuscunq; animum suum superiorem esse ducit. Hos illi, QVOD NEC BENE VERTAT) *Dasß jhm der Tensfel gesegne. Dasß er den Todt daran freß.* Quam vim habeat ratio hæc loquendi, optandiq; ostendimus. Quid in officio sit, nostri lector. Εχθρὸν δὲ αἰδωέ. Semper in donantibus voluntas potius, quam ipsum donum intuendū est. Multum donauit, qui perlibens, cupideq; donauit, quāuis parum donauerit: vt ille rusticus pomum regi, quod ei natum erat omnium in horto maximum. Contra, nihil dedit, qui inuitus, atq; etiam cum dolo, & tacita quadam execratione dedit. Immo verò iste melius damnum, aut malum, quàm munus dare dicatur. Non dedit beneficium, inquit Seneca lib. 2. de Benef. cap. 19. qui malo animo profuit: vt qui tuber tyranni gladio diuisit, quod medicorum manus reformidauerant. Idem epist. 81. Eo animo quidq; debetur, quo datur: nec quantum, sed à quali profectum sit voluntate perpenditur. Iacob. Pont. MITTIMVS HOEDOS) Quem gulosi omnium maxime quærebant, erat hædus lupi faucibus ereptus, dilaniatusq; de quo Horat. in Epod. Ode. 2.

Vel agna festis casa Terminalibus,

Vel hædus ereptus lupo.

Et Martialis lib. 10.

Paruus onyx vna ponetur cænula mensa,

Hædus inhumani raptus ab ore lupi.

Cur autem huiusmodi hædorum caro cæteris iucunditate præcellere iudicaretur, assignat Plutarchus rationem, lib. 2. Sympof. belluam illam nimirum suo morsu carnem teneram, ac proinde delictiorem efficere: nam lupi spiritus vsq; adeo feruidus, ac pæne igneus est, vt etiam durissima ossa in eius stomacho emolliantur, atque conficiantur: quam item ob causam à lupis commorsa, celerius alijs putredinem contrahunt. Mercurial. Variar. lect. lib. 1. cap. 25. CERTE EQVID. AVDIERAM) Audieram ego à narratibus, Menalcam vestrum seruasse (recuperasse) bona sua omnia, seu agros suos, qui intra Mincium, veterem fagum, & collem oppositum interiacent. Meminit huius loci Fabius lib. 8. cap. 6. vbi de al-

legoria differit. Præter nomē, inquit, omnia proprijs decisa sunt verbis: verum nō pastor Menalcas, sed Virgilius est intelligend⁹. AVDIERAS, ET FAMA FVIT) Aures minus fidei habent quàm oculi, vt quibus non cum ipsis rebus sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus. Philo de Iudic. CHAONA QVILA VENIENTE COLVMB.) Columba præ aquilis auguria non habent: seu minora auguria columbarum maioribus aquilarum cedunt, etiam si priora sint. Chaonias, Epiroticas. Nam & in Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbae. Quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades, & columbae, & vaticinatrices vocantur. Seruius. QVOD NISI) Sicut quod vtinam, pro vtinam: ita quod nisi, pro nisi haud inueniunt à scriptoribus reperies celebratū. Lucret. Quod nisi respirent venti: nō vlla refrinet Res. Liuius li. 34. Quod nisi me verecundia singulorum magis maiestatis, & pudoris, quàm vniuersorum tenuisset. Terent. Quod nisi fuissem incogitans. Æmil. Probus in Annibale. Quod nisi domi ciuium suorum inuidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. SINISTRA CORNIX) Malum omen fuisse cornicis crocitantis, poetæ passim docent. Vnde & Hesiodus in εργ. μή τι εφεζόμενη κρόζη λακέρυζα κροῶν. Et Apollon. lib. 3. τῇ δαμῇ δὴ λακέρυζα ἐπιπλήζοντο κροῶναι. Obseruatum quoq; est ex augurali disciplina, fausta auspicia coruorum à dextera, cornicum à sinistra. Itaq; fortasse non infelicia intellexisse videri potest poetam, à quibus commonefactus pastor, à litibus discessit: secus tamen viris doctis visum est. German. HEV CADIT IN QVENQVAM) Postquam audiuit occidi potuisse Virgilium, quasi obstupuit. Hoc generaliter dicit: potest in quenquam tantum scelus venire, vt Virgilium necare contendat? Seruius. TVA NOBIS SOLATIA RAPTA TE CVM) Cum suis solatijs perit poeta, qui necdum editis carminibus moritur. Virgilius autem illo tempore nondum aliquod opus scripserat. Idem. * Solatia tua hic accipio, non quibus se poeta ipse solaretur (quanquam litera, & præsertim poetica suis quoq; auctoribus magno soler esse solatio) sed quibus alios. Itaq; signatè dictum, rapta nobis. Solatia verò pro delectamentis posuit: proprie enim solatia delinimenta in rebus aduersis. QVIS CANERET NYMPHAS) De carmine rustico in honorem Nympharum composito, quibus res diuina, excitatis ad fontium capita vmbraculis fiebat à rusticis, & pastoribus: atq; adeo de bucolico cantu dicitur. Et alio loco, Et quo sed faciles Nympharum sacello, cum ait, rure sacella Nympharum fuisse ostendit, quibus & cantra sacrantur. Turneb. lib. 13. cap. 4. QVIS HUMVM FLOR. HERB.) Humum florentibus herbis spargere, hoc loco est idem quod Eclog. 6. Tum Phaetontidas musco circumdat amara Corticis, pro, circumdatas canit. VIRIDI FONT. IND. VMBRA) Viridis vmbra, est frondium & arborum virentium vmbra, qua inducuntur fontes, id est, teguntur, cooperiuntur. Sed hoc eodem intellectu accipio, quo illud de sparsis herbis. VEL QVÆ SVBLEGITACITVS) Rustica affectione reminisci se illorum carminum fingit, quæ aliquando à Virgilio, licet inuito, Romam abeunte abstulerat. Particula, vel, indicat nonnulla de plurimis. Cic. pro Cælio. Vel illas quas proximè accepi, quàm prudentes? Terent. Vel hoc quis non credat, qui norit te abste esse ortum? Hoc igitur sentit Lycidas, vel illa pauca carmina, quæ suffuratus sum tibi Romam profecturo, quàm elegantia, quàm eximia sunt? Vide quæ ex Budæo recitauimus super hac voce, vel, lib. 11. Æneid. ibi, Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit. Legere, ait Nonius, surripere significat. Vnde & sacrilegium dicitur, id est, de sacro furtum. Turpil. Sermone hunc sublegam. Lucil. 28. Omnia viscatis manibus leget. CVM TE AD DELAMARYLL.) Romam nomine

Amaryllidis intellexit etiam Eclo. i. illo versu. *Postquam A nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.* Quare placet ἀλ-
ληλοεικώς dictum accipi, & non de amica communi.
Præterea persuadet hoc, quod ait, *cum te ferres: quibus*
verbis iter aliquod longiusculum innuitur, Mantua Ro-
mam videlicet. TITYRE DVM REDEO) Theocrit.
Idyll. 8.

Τίτυρ ἐμὴν τὸ χαλὸν πεφιλαιμένη, βόσκει τὰς αἴγας,
καὶ πόσι τὰν κρᾶναν ἄγει Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνὸρχαν
τὸν Διβυκὸν κνάκωνα φυλάσσει, μὴ τυ κορύψῃ.
Tityre, cuius amor felix mihi, pascē capellas,
Hlasq; ad fontem duc Tityre: & a coleato
Cnacone à Libyco, ne tu feriare, caueo,
Liberius.

Tityre amicitia pulchro mihi fœdere iuncte,
Pascendis operam presta mihi quæso capellis:
Hlasq; ad fontem duc Tit. &c.

Animaduertit Gellius lib. 9. cap. 9, hos versiculos è
Theocrito vertisse Poetam; omisisse autem, quod est in
græco verbo dulcissimum. Quo enim pacto diceret,
τὸ χαλὸν πεφιλαιμένη, verba hercle non tralatitia, sed cuius-
dam nativæ dulcedinis? Hoc igitur reliquit, & vertit cæ-
tera non infestiuiter: nisi quod caprum dixerit, quem
Theocritus ἐνὸρχαν appellauit. Auctore enim M. Varro-
ne is demum caper dicitur, qui castratus est. OCCUR-
SARE CAPRO) Quod aiunt, pro hirco malè positum
caprum à doctissimo poeta, sanè ipsi sese non doctissi-
mos ostendunt. Quippe capra vetus vox est: sic mas ca-
per, antequam castrandi vsus inuentus esset. Hircus ve-
rò peregrina, & osca, sicut & hircus pro lupo. Scalig.
Poet. lib. 5. cap. 3. POTVM PASTAS AGE) Agere signi-
ficat ante se pellere, id est, minare, ut hic, *Et potum pa-
stas age Tityre.* [quomodo & Varro locutus est 2. de rer. rust. cap. 2
Meridiano tempore semel agere potum satis habeat. Et paulo antè.
Ab occasu paruo intervallo interposito, ad bibendum appellant.]
Modò significat iurgari, ut cum dicimus, agit cum eo
furti. Modò rependere, ut cum dicimus, gratias ago.
Modò verbis iudicare, ut cum dicimus, causam ago.
Quin etiam si accessit gestus, & vultus quidam decor, ut
cum scenici agere dicuntur. Festus. MANTVA VÆ MI-
SERÆ) Aliquid mali propter vicinum malum. Id ipsum D
apologus Æsopicus de duabus ollis, ænea & fictili signi-
ficat. Sed ad versus totius explanationem quod attinet,
mos fuit olim Imperatoribus, ut iuberent agros meta-
ri, hoc est in certa iugera distinguere, ut æqua diuisio inter
milites, quibus is ager assignandus erat, iniri posset.
Quod si præsentia ad id non sufficerent, etiam vicina
loca in supplementum addebantur. Mos autem ille ori-
ginem à Romulo traxit, qui centuriatum agrum militi-
bus suis dedit, hoc est, dum certa iugera in centum capi-
ta diuisit. Nannius lib. 4. cap. 7. * Queritur hoc idem Virgi-
lius Georg. lib. 2. his versibus.

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascensiem niueos herbofo flumine cygnos.

CANTANTES SVBLIME FERENT CYGNI) Poetæ à
Græcis apta quadam tralatione cygni dicuntur. Antipa-
ter Sidonius in Epigram. Τύμβος Ἀνακτορίδος, ὁ τίσις ἐν-
δεδεκένος. Hinc Horat. lib. 4. Ode 2. *Multa Dircaum le-
nat aura cygnum.* De Pindaro dictum. Virg.

30 L. Sic tua Cynæas fugiant examina taxos,
Sic cythra pastæ distendent vbera vaccæ:
Incipe, si quid habes. ET ME FECERE POETAM
PIERIDES: sunt & mihi carmina: me quoq; dicunt
Vatem pastores: SED NON EGO CREDVLVS ILLIS.
35 Nam neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinna

Idem Horat. dum se carminum suorum fama im-
mortalem apud omnes gentes futurum ostendere vult,
fingit se in cygnum mutari, qui sublimè volans, cantus
edat suauissimos, quos vel vltimi terrarum populi exau-
diant.

Non visitata, nec tenuiferar
Penna biformis per liquidum athera
Vates: neq; in terris morabor
Longius: inuidiaq; maior
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum: non ego quem vocas,
Dilecte Macenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor vnda.
Iam iam residunt cruribus aspera
Pelles, & album mutor in alitem
Supernè: nascunturq; lenes
Per digitos, humerosq; pluma, &c.

Theocritus quoq; in Thalyfij non absq; specie adagio-
nis μυσὼν ὀρνίθας appellat poetas, id est, Musarum aues,
quod in morem lusciniarum videlicet assiduò cantent
sua poemata. Vide Adag. Iunij, cent. i. adag. 18. De cantu
cygnorum Cicero Tuscul. i. Itaq; commemorat (Socra-
tes apud Platonem in Phædone) ut cygni, qui non sine
causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem
habere videantur, qua prouidentes quid in morte boni
sit, cum cantu & voluptate moriantur: sic omnibus &
bonis, & doctis esse faciendum. Ouid. epistola Didonis.

Sic ubi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Meandri concinit albus olor.
Martial. lib. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Ita quidem de cantu cygnorum vulgus sentit, sub mor-
tem videlicet, & eam sententiam poetæ sua auctoritate
confirmant. Dissentiunt tamen, & confutant hanc opi-
nionem Plin. lib. 10. cap. 23. Lucianus Electra, siue de cy-
gnis, Ælian. lib. i. variæ histor. cap. 14. Cæterum poetæ
hoc amplius, non sub mortem tantummodo, verum &
in reliqua vita cygnis cantum tribuunt. Patet id ex Vir-
gilio tum hoc loco, tum 7. Æneid.

Cen quondam niuei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.

Horat. lib. 4. Ode, 3. ad Melpomenen.

O testudinis aureæ
Dulcem qua strepitum Pieri temperas,
O mutis quoq; piscibus
Donatura cygni, si libeat, sonum.

Illud, tuum nomen cygni sublimè ferent, Catullus sim-
pliciter, & sine allegoria, hoc modo, *Ad calum lepidovo-
care versu.* Oratores ita, in cælum ferre, tollere. Plura di-
cemus de cygnorum cantu ad 1. Æneid. ibi, *Vt cætu cin-
xere polum, cantusq; dedere.* Sublimè δὲ ὑψηλὸν μὲν Cice-
ro quoq; vsus est. Tuscul. i. Theodori quidem nihil in-
terest, humi ne, an sublimè putrescat. Idem de Diuinat.
Eaq; scuta, quæ fuerant sublimè fixa, sunt humi inuenta.
Catonis & Collumellæ est, *sublimiter.* Iacob. Pont.

Digna,

Digna, sed ARGVOTOS INTER STREPERE ANSER OLORES

M. Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,

Si valeam meminisse: neq; est ignobile carmen.

Huc ades ô Galatea: quis est nam ludus in vndis?

40 Hic ver purpureum, varios hîc flumina circum

Fundit humus flores: hîc candida populus antro

Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

Huc ades, infani feriant sine littora fluctus.

SIC TVA CYRNÆAS) Cum aliquid ab aliquo petimus, Adhuc tantum abesse, quantum cum stridore suo anser à suavis-
vt id facilius impetremus, ea illi solemus precari, quæ
scimus ei esse gratissima, addita particula, Sic: estq; hoc
genus omnibus poetis Græcis, & Latinis perquam vti-
tatum. Ecloga sequenti.

Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Catullus.

Sic magis ô nupta semper concordia vestras
Semper amor sedes incolat, assiduas.

Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Annue: sic tibi sint insonsi Phœbe capilli:

Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Ex Lambino in Horat. * Adde eiusdem Tibulli lib. 3. eleg. 6.

Candide Liber ades: sic sit tibi mystica vitis:

Sic hedera semper tempora vincta geras.

De hac insula est apud Strabonem lib. 5. sic. Corsicam Romani no-
minant, quæ Cyrenus est Græcis. Malè ea habitatur, aspera, ac plerisq;
locis planè inuia. Quò fit, vt montana colentes, qui latrocinij viam
sustinent, ipsi sint inhumaniore bestis. Itaq; cum Romani duces
in insulam hanc incursionem faciunt, ac munitiones adorti magni
mancipiorum numerum afferunt, Sidere Roma cum admiratione
licet, quantum in eis feritatis, ac in dolis planè sit belluina. Habet ta-
men quadam oppida habitabilia, vt sunt Blesino, Charax, Eniconia,
Vapanes. Longitudo insula passuum millia CLX. latitudo LXX.
continet. Strictim eiusdem descriptionem ex Diodoro proponamus.
Est in mari Tyrrheno sita, à Græcis dicta Cyrenus, à Romanis, & in-
colis Corsica. Aditu facilis, portum habet pulcherrimum, nomine Sy-
racusum. Celebres in ea urbes habentur duæ, scilicet Calaris, & Ni-
cea. Calaris à Phoenicibus, qui à Tyrrhenis postmodum insula pulsi
sunt: Nicea à Tyrrhenis maritimis, qui reliquas etiam Tyrrheni
maris insulas sue ditionis fecerunt, condita. Hæ postea urbibus, quæ in
Cyro erant, subactis, resina, ceraq; ac mellis, quorum ea insula fer-
tilis est, tributa imposuerunt. Insula ampla est, magnaq; ex parte
montosa ac sylvestris, fluminibus insuper irrigua. Homines lacte,
melle, ac carnibus (omnia affatim præbet regio) iuste & humaniter,
Sictra ceteros barbaros inuicem viuunt. Facios enim, qui in monta-
nis arboribus reperiuntur, illius esse simunt, qui primus inuenit. Oves
signaculis distinctæ, etiam nullo custode patris seruantur. Nasci-
tur in ea insula taxi copia, in qua arbore mel quod sit, amarum ad-
modum est. Miror hic interpretem transiisse taxus, cum in Græco
sit τῷ ξύῳ, quod buxus reddatur. Sed ille ex Virgilio Diodorum volu-
it emendare. De melle Corsico Martialis lib. 11.

Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci,

Et thyma Cæcropiæ Corsica ponis api.

Non dubito inquit Turnebus lib. 22. cap. 24. quin ali-
cuius boni auctoris fide fretus, & fiducia hoc scripserit
Maro: tamen mel Corsicum scribunt locupletissimi te-
stimoni in literis viri, buxi potius, quam taxi sapore in-
fectum, & vitiatum esse, vt Diodorus lib. 6. cap. 5. Insi-
mulare summum poetam vel negligentia, vel vanitatis
non ausim: ab eius tamen sententia Diodorus, qui & ipse
multos, vt opinor, testes suæ sententiæ producere potu-
isset, recedit. Nos tamen neutrum accusamus, & vtrum-
que verum scripsisse censuamus. Verba Diodori sunt.
Φέλαι δὲ κατὰ τὴν νῆσον ταύτην καὶ τῷ ξύῳ παλαιοί, καὶ διάφοροι,
δὲ νῦν καὶ μέλι τὸ γινόμενον ἐν αὐτῇ παλαιῶς γινέσθαι παρὸν.

INCIPE SI QUID HABES) Marin Lycidas ad cantandum
cohortatur, seq; illi auditorem nō imperitum offert, Verecunde enim
sefe commendat, vt poetica scientia non ignarum. Quamquam sibi in
eo genere plus tribuatur à pastoribus, quam ipse possit agnoscere. So-
lenim ab excellentibus poetis, quales nunciantur Varus, & Cinna,

Adhuc tantum abesse, quantum cum stridore suo anser à suavis-
sygni cantu distet. Theocrit. Idyll. 7.

Καὶ γὰρ ἐγὼ μοι σὺν καπνὸν σόμα· κἢ μὲ λέγοντι

Πάντες ἀοιδὸν αἰετὸν ἐγὼ δὲ τις ἑταρχομένης.

Οὐδ' αὖν, ὃ γὰρ πῶ, κατ' ἐμὸν νόον, ὅτε τὸν ἐσθλὸν

Σικελίδαν νίκημι τ' ἐκ Σάμου, ὅτε φιλητῶν,

Αἰδῶν βατ' ἐγὼ δ' ὅτ' ἀκείδω ὡς τις εἰσδῶ.

Namq; ego Musarum sum blandus os: meq; loquuntur

Vatem omnes summum: sed non ego credere promptus.

Præstante siquidem (mea mens vt indicat) haud dum

Sicelidam cantu Samium, vel vinco Philetam,

Sed velut aduersus contendit rana locustas.

NEC DICERE CINNA DIGNA) Cinna Smyrnam scrip-
sit, quam nonum post annum, vt Catullus ait, edidit.

Id quod & Quintilianus. Vnde etiam Horatium in arte

poetica dicunt ad eum alluisse, ibi, nonumq; prematur

in annum. Fuit autem liber obscurus adeo, vt & nonnul-

li eius ætatis Grammatici in eum scripserint, magnamq;

ex eius enarratione gloriam sint consecuti. Quod au-

tem obscurus fuerit, etiam Martialis ostendit illo versu.

Indice te melior Cinna Marone fuit. Philarg. ARGVOTOS

INTER STREP. ANSER OLORES) Momordisse, seu

perstrinxisse Virgilium Antonij poetam, nomine Anse-

rem, animaduertit Seruius. Idem docti quidam obser-

uarunt apud Ciceronem, eo loco 13. Philip. hiq; qui

nunc Mutinā oppugnant, D. Brutum obsident, de Faler-

no (de fundo Cn. Pomp. quem huic malo poetæ Anferi

Antonius donauerat, quiq; cum eo in castris versaba-

tur) depelluntur. Sed ne Anferi quidem Propertius pe-

pereit lib. 2. eleg. 34. ore canorus Anseris indocto carmine

cessit olor. Et Ouid. lib. 2. Trist. Cinna quoq; his comes est.

Cinnaq; procacior Anser German. * Anserem Phæbeam lau-

rum pertinacissime fugere, tradit Pierius lib. 24. quoniam soliorum

eius esum sibi exitialem intelligit. Quia enim natura calidus est, ci-

bis delectatur liquidis & frigidis, laurus vero ignea est. Pro eo eti-

am accusatore pingitur anser, qui tantum obstrept, non ledit. Im-

quam rem verba Cic. ex orat. pro sex Roscio citantur. Iam prouerbi-

um, Anser inter olores, quadrabit in eos, qui indocti inter eruditos,

infantes inter eloquentes, stulti inter sapientes garrive audent, &

cum molestia obstreperet. Habet eandem vim illud, Graculus inter

Musas. De cygni hieroglyphicis vide eundem lib. 23. ID QUIDEM

DAGO, ET TACITVS) Velle se Lycida gratum facere affirmat

Maris, & iam conari in memoriam reuocare versus quosdam mi-

nime contemnendos, quos olim meditatus sit. Mox quasi eorum re-

cordatus, cantat. In sita marina despicitur, atq; ab ea ad fru-

endas voluptates, quas terra suppediat, Galatea inuitatur.]

Theocrit. Idyll. 11.

Αἰὲν ἀφίκευ τὸ πόλιν με, καὶ ἐξ εἰς ὅδ' ἐλ' αἶσσον.

Τὰν γλαυκὴν δὲ θάλασσαν ἐὰ πόλιν χέρον ὄρεχθ' εἶν.

Εἴ νηὶ δάφναι τινεὶ, εἴ νηὶ ῥαδιναὶ κυπρίσσοι,

Εἴ νηὶ μέλας κισσὸς, εἴ νηὶ ἀμπελὶς ἀγλυκύκαρπος.

Εἴ νηὶ ψυχρὸν ὕδωρ, τὸ μοι ἀπολυδένδρεο Αἰτνα.

Λευκὰς ἐκ χιόνος πόδον ἀμείροσιον περὶ νηὶ.

Τίς κ' ἂν τῶνδε θάλασσαν ἐχέιν ἢ κύμαθ' ἐλοίλο;

Ad me ergo propera: decedet nil tibi mecum:

Et mare caruleum sine sese in littore iacitet.

Hic mihi sunt lauri, mihi sunt hîc & cyparissi:

Atq; hedera hic nigra est, dulcesq; in vitibus vine.

Lymphas

*Lymphas Aetna mihi gelidas nemorosa liquata
Denique dat: non ambrosia est incundior illis.*

Quis mare, quis pro istis fluctus malitiae marinos?

MECVM VOLVTO) Volutare, est cogitatione perquirere. Lucil. lib. 30. *Hac tu me insumulas, nonne ante in corde volutas?* Nonius. Adde ex 1. Aeneid. *Talia flammato secum dea corde volutans.* HIC VER PVRPVREVM) Similis locus est in Gallo. *Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori, hic nemus.* Talis item inuitatio reperitur apud Horat. Ode 1. lib. 1. qua ab amoenitate, & commodis laudat praedictum suum. Sunt item similia apud Theo-

Acritum praeter ea, quae Stephanus adducit. Vide Vrsinum. HIC CANDIDA POP.) Populus habet frondes, altera ex parte albas: atque idcirco λευκή à Græcis dicitur, ob quam etiam causam hic candida appellatur. Quanquam est & populus nigra. Ex quo fortasse huic eidem nostro bicolor dicitur 8. Aeneid. Nisi potius propterea, quod frons populi, etiam albæ, reuera bicolor est. Lamb. in Horat. INSANI FLUCTVS) Infans valere interdum magnus, docuimus in secundo Aeneid. ibi, *Quid tantum insano inuolat indulgere labori?*

L. Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem

45 Audieram? NVMEROS MEMINI, SI VERBA TENEREM.

M. Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?

Ecce, Dionæi processit Cæsaris astrum:

Astrum, quo segetes gauderent frugibus, & quo

Duceret apricis in collibus vicia colorem.

50 Infere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes.

OMNIA FERT ÆTAS, ANIMVM QVOQVE. sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

NVNC OBLITA MIHI TOT CARMINA: VOX quoque; Mærin
Iam fugit ipsa: LVPI MOERIN VIDERE PRIORES.

55 Sed tamen ista satis: referet tibi sæpe Menalcas.

L. CAVSSANDO NOSTROS IN LONGVM DVCIS AMORES,

Et nunc omne tibi stratum flet æquor, & omnes

(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.

Hinc adeo media est nobis via. nanque sepulcrum

60 Incipit apparere Bianoris: hîc, ubi densas

Agricolæ stringunt frondes, hîc Mæri canamus.

Hic hædos depone, tamen veniemus in urbem:

Aut, si nox pluuiam ne colligat ante, veremur,

Cantantes licet vsq; (minus via lædet) eamus.

65 Cantantes vt eamus, ego hoc te fasce leuabo.

M. DESINE PLVRA PVER: & quod nunc instat, agamus:

Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

QVID, QVÆ TE PVRA) *Quid, quæ te pura* est, & subauditur dicemus, faciemus, aut tale quippiam. Sæpe ita locuti sunt probati scriptores. Iacob Pont. NVMEROS MEM. SI VERBA TENEREM) Memini cantum versuum, si verbum tenerem. Atque hic numeri sunt modi, & cantus, non carmina: etsi carmina sæpe numero. Persius sat. 1. *Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber.* Nam quia & carmen numeris, id est, rhythmis, seu pedibus constat, & canitur, ideo numerus & carmen interdum, & cantum significat. Turneb. lib. 29. cap. 25. ECCE DIONÆI) Huc puta repexisse Ausonium, distichis de mensibus, dum ita loquitur de Iulio.

Inde Dionæo præfulgens Iulius astro,

Æstatis media tempora certa tenet.

Fingitur Daphnis cælo oculis inharere, & ortus obitu- que siderum speculari. Tempora felicia, in cælum recepto Iulio, & orbem Octavio moderante promittuntur. Suetonius de Iulio Cæsare cap. 88. perijt VI. & L. anno ætatis, atque in deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed etiam persuasione vulgi: siquidem ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos ful-

lit, exoricens circa undecimam horam, creditumque; est animam esse Cæsaris in cælum recepti: & hac de causa simulacro eius in vertice additur stella. Ovid. lib. 15. Metamorph.

*Cæsar in vrbe sua deus est: quem Marte togæq;
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Regis, domi gesta, properataq; gloriarum
In fidus vertere novum, stellamq; comantem,
Quam sua progenies.*

Et infra de anima illius.

*simul euolat altius illa,
Flammigerumq; trahens spatioso limite crinem,
Stella micat.*

Propert. lib. 4. eleg. 6.

Et pater Idalio miratus Cæsar ab astro,

Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.

Vide Plinium lib. 2. cap. 25. Pierium lib. 44. in Stella. Huc alludit Horat. Ode 12. lib. 1.

micat inter omnes

Iulium fidus, velut inter ignes

Luna minores.

Iacob. Pont.

Dionæi

Dionæi autem à Dione Veneris matre satis longè petitum. Ipsa Venus in 3. Æneid. Dionæa mater appellatur. *Sacra Dionæa matri, diuisq; ferebam.* Catullus in Cæsare, detrita vna littera è diphthongo propter metrum, dixit Dioneus, *Vt albulus columbulus Dioneus*, id est, Venerius. Muret. in Catullum.

Dionæum Cæsare appellat in gratiam Iuliæ familiæ: tum q; ea ad Iuliū genus refert, tum quod Romani à Venerē per Æneam originē ducunt. Vnde & nobile illud exordiū Lucretij, *Æneadū genitrix, hominū, diuinūq; voluptas.* Alludit autē ad imaginem Cæsaris, quæ cum fulminibus, & radijs effingebatur, stella capiti superaddita, quodd post eius mortem continuis diebus 7. apparuisset, existimata Cæsaris anima. Vnde Lucan. lib. 7.

*Fulminibus manes, radijsq; ornabit & astris,
Inq; deū templis inrabit Roma per vndas.*

German. OMN. FERT ETAS, ANIM. QVOQUE) Nemes. ecl. 4. *Omnia tempus alit, tempus rapit.* Plura volebat Mæris, sed destituit illū, tanquam senē, memoria. Vnde brevis illa quidē, sed grauis de diuturnitate querimonia, quæ cōsumit omnia. Et inter mala, quæ incurrunt in senectā plurima, primū ferē incurrat obliuio, vt ait Senec. Et quoniam tēpus aufert, secat, & demerit quodāmodo omnia, ob id Saturno falx attributa est: qui Græcè *χρόνος*, cui tēpora subiiciuntur, quæ eodem vocabulo, vna tantum mutata littera efferuntur, *χρόνος*, *χρόνος*. Platonis distichon est.

*Αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος ὅθεν ἀμείβειν
Οὐνομα καὶ μορφήν, καὶ οὖτιν, ἢ δὲ τίχιν.
Omnia fert atus, mutatur tempore longo
Fortuna, & forma, & nomen, & ingenium.*

Herodotus idem testatur lib. 3. Thalia. Cuius verba paulo infra adducentur, & ea fortasse adumbrare voluit Virgilius. Lucret. quoq; lib. 1. *minui rem quamq; videmus, Et quasi longinquo fluere omnia cernimus aeo.* Longè autem copiosius lib. 5.

*Denique non lapides quoq; vinci cernimus aeo?
Non altasturres ruere, & putrescere saxa?
Non delubra deū, simulacraq; fessa fatisci?
Denique non monumenta virū dilapsa videmus?*

Addamus hic illud M. Tullij ex orat. pro M. Marcello. Nihil est opere, aut manu factum, quod non conficiat & consumat vetustas. Martial. *Quid nō longa dies, quid non consumitis anni?* Sophocles in Aiace. *πανθ' ὁ μέγας χρόνος μακάριε τε καὶ φλέγει.* Vrsin. Iacob. Pont.

Animi porro nostri tria sunt munera, intelligere, meminisse, velle, eiq; tā propria, vt cū aliquid illorū trium significare volumus, animi nomine vtamur. Cū igitur auditores rogamus, vt dicēdis intelligentiā accommodet, petimus, vt animum adhibeant, siue attendant. Accipi quoq; pro memoria, hic locus indicat: præsertim cū sequatur: *Nunc oblita mihi tot carmina.* Et meritō: nā primū vulnus memoriæ senectus infligit. Et cū petimus ab amico, vt cuiuspiam rei sit memor, dicimus, fac in animo habeas. Volūtatem autē vocari animum, tot testimoniis probatur, vt actū agere videatur, qui probare volet. Nota sunt illa Ouid. *In noua fert animus mutatas dicere formas Corpora.* Terent. *Mala mens, malus animus.*

Sensus verborum poetæ hic est, vt existimo, cū cuiq; rei, tū etiam animo suā esse senectutem, eumq; quodāmodo decrefcere, atq; minui cū corpore, & languescere, præsertim memoriā, qua manifestissimum est parū valere senes. Eodē quoq; propter hebetatā intelligēdiuim mentisq; oculos quodāmodo obtusos & cæcutientes, plerumque delirare videmus, & senilis stultitia deliratio appellari solet, vt Cicero inquit. Senescere autem animū

A quoq; ex Aristotele ostendimus, & ostendit Mercurialis. var. lect. lib. 4. c. 3. Ergo Aristotel. lib. 2. Polit. Lacedæmoniorū instituta Reipub. examinās, inter cætera illi vitio vertit, q; senatoribus per omnem vitæ atate de rebus magnis iudicia ferre liceret, cū in senectute id non sine periculo fieri possit, quoniam ait is, *ὅσπερ καὶ σώματα, καὶ τὰς δὲ ψυχὰς γήρας.* Quomodo corpori, sic animo sua est senectus. Hanc eādē rationē adhibuit apud Herodot. in Thalia Arofla Cyri filia, Darij vxor, q; à Demodene medico Græco, vlcere prauo in mamilla curata, viroq; suo, vt bellū Græciæ inferret, astuto eius medici ita patriā reuifere sperātis cōsilio persuadere conata, inter alia multa hæc verba protulit, *νῦν γὰρ ἂν καὶ ποδὲς αἰὼν ἔρπον ἕως νέου ἢς ἡλικίαν, ἀνδραγωγέων γὰρ τῶ σῶματι συναίξον, καὶ αἱ φρένες, γηράσκοντι ὅσσην γηράσκουσιν, ἐς τὰ πηήματα πάντα ἀπαμειλύνον.* Id est, nunc autē, quādo es etate iuuenis, si opus suscipias: nā augefciente corpore, simul & prudentia crescit, senectute verō consenescit, atq; ad omnia opera hebetatur. Vnde non immeritō apud veteres prouerbio decantatum, *ἔρπον νέων, βυλάει δὲ μέσων, ἐν καὶ ὃ γηράσκων.* Id est, opera iuuenum, confilia autē mediōrum, preces verō senum. Sane hæc omnia non de animæ substantia, quam alioqui immortalem credimus, sed de illius operationibus, quæ ab instrumentis magna ex parte dependent, intelligi æquius est, &c. CANT. MEM. ME LONG. COND. SOLES) Imitatus est Callimachum, in quodā enim epigramate legitur, *ἐμνήσθην δ' ὅσους ἀμφοτέρων ἡλίων ἐν λέσχῃ καλεῖσθαι μιν.* Vbi vox vltima planè respondet verbo *condere* apud Maronem. Horat. Od. 5. lib. 4. *Condit quisq; diem collibus in suis.* Id est, vsq; ad occasum solis ibi manet. Lucret. li. 3.

*Proinde licet quot vis viuendo condere secla,
Mors aterna tamen nihilo minus illa manebit.*

Videtur trāslatio à funere, vt illa item lib. 1. Æneid. *Ante diem clauso componet vesper olympo.* * Longos soles cantando sepuerum condidisse ait, id est, dies astuos, qui hybernus longiores sunt, cantando totos consumpsisse, à mane ad vesperam, ab ortu solis ad eius occasum, dum ille se conderet sub humum (Et oculis nostris apparet) modulatum carmina. Solem pro die nominauit etiam in angusto poemate, lib. 3. Tres adeo incertos cæca caligine soles Erramus. Nemesian. Eclog. 3. trini perierunt ordine soles. Et Horat. Ep. 1. lib. 1. Supremo te sole domi Torquate manebis. LVPI MOERIN VID. PRIORES) Hinc parœmia, Lupus in fabula, cū superuenit is, de quo loquimur, & nobis sua præsentia loquendi vltra facultatem amputat. Terent. Adelph. *hem tibi autem. CT. Quidnam est? ST. Lupus in fabula. CT. Patere est? ST. Ipse est.* Vide ibidem Donatum. Plaut. Stich. *Atq; ecce tibi lupum in sermone, præsens esuriens ad est.* Causa physica est: creditur enim luporum visus esse noxius, vocemq; hominis, quæ prior contempletur, adimere ad præsens, ait Plin. lib. 8. cap. 22. At si lupus ab homine prius visus fuerit, debilitatur, vt hæc *ἀντιπαράστα* sit mutua. Animaduersione præterea dignum, quod Turneb. affert lib. 29. cap. 20. Vetulus lupus pro homine veteratore, fallaci, & rapaci veteribus vsurpatū. Lucil. apud Nonium in Accipere. Sic, inquam, & veteratorem illum vetulum lupum Annibalē acceptum. Eodem sensu Germani nostri, *Er ist ein alter Wolff.* μεταμύθεωσιν porro lupi ex Lycæone rege Arcadiæ, satis festiuè, suoq; prorsus more describit. Ouid. lib. 1. his carminibus.

*Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris
Exululat frustra, loqui conatur, ab ipso
Colligit os rabiem: solit. eq; cupidine cadis
Utitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
Fit lupus, & veteris seruat vestigia forma.
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.*

O Iacob.

Iacob. Pont. SED TAMEN ISTA SATIS) Notæ sunt omni-
bus, etiam pueris Grammaticis illæ clausulæ, quibus in
fermonibus, & scriptis nostris uti consueuimus. Hæc ha-
ctenus. Ista dixisse sufficiat. Sed de his satis. Menalcas, cū
voles, & quoties voles, recitabit tibi nostra carmina. Ia-
cob. Pont. CAVSAN. NOSTROS) Causare, est causas affer-
re. Cic. pro Sex. Roscio. Nunquid causare, quin ab iudi-
cio discedas turpissimè victus? Lucret. lib. 1. *Quāuis cau-
sando multa moreris.* Id est, multas causas afferendo. *πολλὰ
καὶ πολλὰ καὶ πολλὰς αἰτίας προσχέουσιν.* * Causari est
tueri ac defendere se causis prætendendis. Attius Medea. Quò potis
est repellere quisquam, ubi nullus est causandi locus? Afranius E-
mancip. Vide ut facundè contra causeris patrem. Sueton. Nerone,
cap. 49. Duos pugiones quos secum tulerat, arripuit, tentatq; Stri-
bus, acie, rursus condidit, causatus, nondum adesse fatalem horam.
Sensus carminis est, Tu causam afferendo recusationis tuæ, nihil fa-
cis aliud, quàm ut desiderium meum tui audiendi producas: mihi e-
nim illud de obliuione carminum non persuades. Et NUNC O-
MNE SILET ÆQVOR) Vide quàm studeat audire
Mærin Lycidas. Ostendit & silentium summum à ven-
tis, & fluctibus, quæ canentem impedire poterant, &
tempus adhuc restare, medioq; tantum versus Mantu-
am peracto itinere, opportunitatem adesse optatissimā.
MEDIA EST VIA, NAMQVE SEPVLG. BIANO. Theocritus
Idyll. 51.

Κ' ἔπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄννυες, ὅδ' ἔτ' ὁ σῆμα

Ἀ μὲν τῷ Βρασίλῳ κατεφάνετο.

Atq; iter haud mediū nobis erat, haudq; sepulcrum
Apparebat adhuc Brasila.

Bianor, alio nomine Ocnus, Manto Tirefiæ vatis filia ge-
nitrix, Mantuam condidit, eiq; à matre nomen impo-
suit. lib. 10. Æneid.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidica Mantus, & Thysci filius amnis:

Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Iacob. Pont. AGRICOLÆ STRING. FROND) Decutiunt,
amputant, stringendo succidunt. Georg. 1. Sed tamen &
quernas glandes tunc stringere tempus. Seruius. Ibidem,
cum flauis messorem induceret aruis Agricola, & fragili
iam stringeret hordea culmo. Et 2. nunc stringe comas,
nunc brachia tonde. Nemef. eclog. 2. roseis stringentem
lilia palmis. Stringere idem sepe quod destingere, dera-
dere, carpere, auellere. Lucret. lib. 1. Sed qua sunt rerum
primordia, nulla potest vis Stringere. TAM. VENIEM. IN. V.)
Etsi paululum quiescentes dederimus operam cātilene,
tamen tempore in urbem ingrediemur. AVT SI NOX PL.)
Si id timemus, ne coactis sub nocte nubibus, ut fieri so-
let, pluuia decidat, continenter licet ambulemus, cum
cantu tamen. Sic enim futurum est, ut laborem viā mi-
nus sentiamus. Vsq; particula significat continuè, conti-
nenter. Teren. Adelph. Quid potui melius, qui hodie vsq;
os præbui? Cic. ad Cornific. Mihi quidem curæ erit vsque
quid agas. CANT. VT EAMVS) Quamuis eamus cantantes,
te leuabo hoc onere hædorū. DESINE PLVRA PVER)
Perstat in negādo Mæris, ac Lycidam vetat ultra petere.
Eclog. 5. sed tu Desine plura puer. QVOD NUNC INST. AG)
Plaut. Trucul. Sed hoc agamus, huc qua ventum est gra-
tia. Idem Capt. Hoc agamus, Id est, agamus quod est in
manibus, & quod instat; curemus præsentia, præterita
missa faciamus. Ita Lamb. [Hoc age, proverbium, cum iubemus
quempiam attentum esse, seu animo præsentem esse. Huic porro car-
mini, Desine plura, &c. nō male respondent illa Plaut. in Trinum. At
enim nimis longo sermone utimur. Diem conficimus, quod iam
properato est opus.] Instabat illud, ut Centurionē placaret,
cui hædos portabat muneri ipse Mæris. Cū redierit
Menalcas, tum causam & occasionem cantandi fore,
quia Virgilius Roma reuersus, beneficio amicorum se-
curitatem secum apportabit.



Ecloga decima. Gallus.

SYNOPSIS.



Ornelius Gallus & poeta, & orator fuit inlytissimus, cui cum Marone nostro ma-
gna familiaritas necessitudinis. Deperibat miser Cytheridem libertam Volumnij,
quæ hic Lycoris vocatur, more utique poetarum, scortorum suorum infamiam mu-
tatis nominibus occultantium. Quin ipsæ scæminæ meretricium instituentes, sume-
bant alia nomina: eidemq; valedicentes, ingenuarum rursus appellationem susci-
piebant. Ergo, ut Apuleius Apol. 1. testis est, Catullo Clodia est Lesbia, Metella Ticide Perilla,
Hostia Propertio Cynthia, Plania Tibullo Delia. Idem Martial. lib. 8. epigr. 73. ad Instantium. Me-
retrricula igitur hæc secuta in Gallias M. Antonium, Gallum hunc ista contemptione in tantum
mærorem coniecit, ut pane contabuerit. Quid facias istis? Ea tum erant sæcula, ij mores, ut dum
abstinerent nupta, vidua, ingenua, amare liceret, quod luberet. Consolationem adhibet Virgilius:
sic tamen, ut à Bucolica humilitate quæ personis, quæ comparationibus non temperet. Interim ei
hanc vesaniam satis apertè exprobrat. Totum serè argumentum ex Thyrside Theocriti deductum
apparet. Proæmio Nympha Arethusa inuocatur. Narratio per varias personas funditur, quæ
ad Gallum visendum accedunt, & res tanquam in Arcadia geritur, quod Menalus, Lyceus, pa-
stores Arcadiæ, & Pan deus declarant. Sub Galli persona durissimum & infelicissimum, secus
quàm ius fas est amantium, seruitutem elegantissime expressam cernimus: quibus hominibus nihil
est